







Nemo moritur ex febri.

Qvin tremor omnis abest, tremulos queis concutit artus
Febris? ab hac, haud hic mortifer annus erit.
Ars tua, Phæbe, iacet: qui sola febre laborant,
Si per se valeant, ars tua, Phæbe, iacet.
Nulli intemperies simplex est causa soluti
Continui; febris non facit ergo mori.
Quid mihi cum medicis? morborum morbus Apollo;
Febris, Apollinea qui levet arte mala, est.
Extenuans, aut dissolvens, aut illa recidens,
Frigore seu torpes, siue calore liques.
Participans vitæ, mortisq; æqualitèr ardor,
Æqualis vitæ, causaq; mortis erit.
Qualis cum febris fiet, æqualisq; vtriusq;
Causa, haud in causa, cur moriamur, erit.
Indulgens natura parens: quæ provida morbum,
Qui morbis reliquis mors foret, ipsa dedit.
Naturale bonum mala naturalia sanat,
Quo commune, bonum, sit mage, maius erit.
Cum naturali cum fit calor iste calore
Vnus, naturæ perficit auctus opus.
Ex febri haud moritur, moriens cum febre; quòd ipsa
Quo grauior, mortis non mage causa fiet.
Quotidiana necat, sanatur at Hectica febris,
Sic magis æger abit, sic minus æger obit.
Denique quod mortis sit causa, venire necesse
Non est, natura sed renuente venit:
At febrim natura volens dedit, hancq; necesse est
Esse datam, calor vt fortior ille foret.

ERGO

Morbos formidate alios, contemnite febres,
Vltima nulla vlli linea febris erit.

Animi morbi curam non admittunt.

INsanis, sanari animum qui vis malè sanum,
Ægrotos animos pharmaca nulla iuvant.
Queis sanetur amor medicamina lusor amorum
Scripsit, at hæc frustrà scripta fuisse liquet.
1 Si tua consueto languescent corpora morbo,
Lassa suæ nunquam certa salutis erunt.
Æger, & emoriens animus sanabilis haud est,
Hunc mala corporeis, quòd, graviora premunt.
Si levis est animo curis obducta cicatrix,
Corporeo maius vulnere, vulnus erit.
2 Intus vulnus alens animus, dum vulnere cæco
Carpitur, huic frustra tendis Apollo manum.
Ignoti morbi curatio nulla: nec illud
Artem quod lateat, sentiet artis opem.
3 Non variat, cui subiectum variabile non est,
Subiectum est animus, quod variare nequit.
Ergo animi morbus non est variabilis: illo,
Tanquam in subiecto, cum manet ille, suo.
4 Anne animi dabitur crasis? sanabitur ergo.
Sanari, crasis non datur, ergo nequit.
5 Eia age quos animi morbos sanauerit vnquam
Ars tua, dic (medicæ Phæbe repertor opis.)
Quos tu, quos phrenesis, vel quos dementia cepit
Sanasti? non est, nec fuit artis opus.
6 Dæmone vexatos animos scribis Plato: Dæmon
Quisque animi pravus num tibi morbus erit?
Sic est. Tam facilè est animo depellere morbum
Dæmona quàm facile est pellere sede sua.

ERGO

Corpora curatote, animi deponite curam
Ægroti, ægrotum non medicina iuvat.